

Si enim forma accepti beneficii consideratur ex parte Dei, a quo nobis benigna peccati remissio proficiscitur; contra hanc peccant, qui fratri veniam poscenti injurias non remittunt. Ex parte autem hominis tres actus ad peccatorum remissionem potissimum concurrunt, puta, motus fidei, pœnitentiæ et propositum confitendi: quibus adversantur apostasia a fide, dolor de pœnitentiâ habita, et contemptus confessionis. Vid. S. Thom. a. 2. ex cujus art. seqq.

77. *Colliges* 1°. Reatus qui ob ingratitude sequentis peccati redit, major interdum est, interdum minor reatu peccati præcedentis: nam si contemplerur peccatum novum secundum suam speciem, potest ejus malitia major esse vel minor, malitia peccati prioris; circumstantia vero ingratitude gravitatem peccati alterius tantum auget intra suammet speciem. Sicut ergo peccatum repetitum pro specie sua potest esse minoris aut majoris malitiæ, quam peccatum antecedens, ita etiam circumstantia gravitatis ex adjuncta ingratitude. S. Th. a. 3.

2°. Idem S. Doctor a. 4. ostendit, quod ingratitude sequentis peccati non sit peccatum peculiare, sed circumstantia communis, nisi adjungatur expressa intentio contemnendi beneficium: peccatum enim accipit speciem suam ex intentione peccantis. Quod de peccatis accipi oportet, quæ consummantur in voluntate, quorum malitia actui interiori primum convenit, et ab hoc in opus exterius derivatur: ut sunt odium, inobedientia, atque etiam ingratiæ mentis vitium.

3°. Si innocentia, et remissio peccati considerentur secundum se, majus est beneficium innocentia; cum præstet, nunquam peccasse. Si vero spectentur secundum gratiæ donum, amplius esse potest beneficium remissio peccati, quia fervide pœnitentibus major quandoque gratia in justificatione refunditur, quam quidam innocentes possideant. Denique si gratia utraque referatur ad subjectum, largius erit beneficium peccati remissio: nec enim tantum impenditur non merito, ut innocentia tribui solet, sed positive etiam indigno, et iram merenti. Quam ob causam S. Augustinus L. 50. homil. ait, æqualiter teneri ad gratiarum actionem et eum cui plura peccata dimissa sunt, et eum cui pauciora: debitorem enim hunc esse pro omnibus, a quibus præservatus est. Nempe licet remissio intuitu subjecti videatur majus esse beneficium; præservatio tamen, secundum se sumpta excellit. Par ergo quodam modo utriusque est ratio.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE PŒNITENTIÆ.

ARTICULUS I.

QUAM SIT NECESSARIA PŒNITENTIA?

Nota. Hactenus explicavimus efficaciam pœnitentiæ: nunc restat, ejus necessitatem declaremus. Cum autem Catholici omnes fateantur, actum hujus virtutis esse medium ad veniam peccatorum obtinendam necessarium; disputant tamen Scholastici, utrum actus iste debeat esse pœnitentiæ formalis, an virtualis sufficiat? Scotus d. 14. q. 1. a. 3. Gabriel, Joan. Major in eadem dist., Medina tract. 1. de Pœn. q. 2. ad 3. Navarrus in summa c. 1. n. 10. aliique censent sufficere pœnitentiæ virtualem. Contrarium videtur Thomistis recentioribus; ac Melchior quidem Canus Relectione de Pœnit. part. 3. tam asseveranter hoc tenet, ut pronuntiet, posse esse actum dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali, ex defectu formalis pœnitentiæ.

78. *Dico I.* Per se loquendo actus formalis pœnitentiæ necessarius est ad remissionem peccati mortalis consequendam. Ita S. Thomas q. 86. a. 2. ac sæpe alias.

Prob. I. Testimoniis S. Scripturæ supra celebratis, ac præsertim Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiâ habueritis, omnes similiter peribitis.* Quando autem talis conditio non præsumit subjectum gratum, sed indicat id, sine quo gratia non obtinetur, manifeste continet necessitatem medii et non tantum præcepti. Eccli. 2. v. 22. *Si pœnitentiâ non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Apoc. 2. v. 5. *Memor esto unde cecideris: et age pœnitentiâ...* Sin autem, *venio tibi*, etc. Ezech. 18. et 33. tam necessaria dicitur pœnitentiâ ad reparandam vitam spiritualem, quam peccatum est necessarium ad illam amittendam. Quapropter etiam Christus Matth. 4. v. 17. et Apostoli Act. 2. v. 38. initio suæ prædicationis semper requirebant pœnitentiâ ad remissionem peccatorum, etiam cum baptismum essent suscepturi.

Joannes autem, Matth. 3. cum v. 7. dixisset: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* mox quasi unicum remedium ipsis suggerit: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.*

Hæc autem et similia Scripturæ testimonia possunt ac debent in sensu proprio accipi de pœnitentiâ formali, sicut cum actus fidei aut caritatis exiguntur: præsertim quia nominibus pœnitentiæ, doloris, tristitiæ,

gemitus, et aliis id genus proprietatem illam exprimentibus sacra pagina utitur.

Prob. II. S. CYPRIANUS L. de Lapsis, circa fin. (opp. p. 178. edit. Paris. 1668.): *Illi, inquit, sola superest pœnitentia, quæ satisfaciatur: qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt.* S. AMBROSIIUS L. 5. epist. 28. (al. epist. 51. ad Theodosium. opp. t. 2. p. 999. D.): *Peccatum non tollitur, nisi lacrymis et pœnitentia.* S. AUGUSTINUS concione 1. in Ps. 30. n. 5. *Hanc confusionem, inquit, de peccato commisso, non formidet Christianus; imo si hanc non habeat, æternam habebit.* Et epist. 50. circa finem (al. 185. ad Bonifacium seu L. de correctione Donatistarum c. 10. n. 43.): *Nisi egeris pœnitentiam, salvus esse non poteris: quomodo enim gaudebis fuisse correctum, nisi doleas fuisse perversum?* GREGORIUS M. homil. 20. in Evang. (opp. t. 1. p. 1519. D.) *Ventura, inquit, ira est animæaversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.* Eadem S. CHRYSOSTOMUS hom. 10. et 11. in Matth. 9. ad Hebr. 21. 22. et 24. ad populum, alique Patres confirmant. His accedit Concilium TRIDENTINUM, quod Sess. 6. cap. 6. et 7. contritionem inter præcipuas dispositiones ad justificationem recenset: et Sess. 14. cap. 4. *Fuit autem, inquit, quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum hæc contritionis motus necessarius.* Et habetur etiam in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinit.

Prob. III. Justitia exigit, jus Dei reparari, quod læsum fuerat, quando homo se a Deo fine ultimo avertit et ad creaturas peccando convertit; per pœnitentiam autem propriam formaliter se homo avertit a creaturis, et ad Deum convertit: licet enim homo possit se virtualiter avertere ab uno termino per conversionem ad contrarium; tamen in actibus animæ perfectiori modo fit hæc conversio et aversio, quando per formales actus ipsa anima accedit ad unum terminum, et ab alio recedit. Præterea pœnitentiæ actus formalis proxime tendit ad petendum veniam, et ad placandum personam offensam; estque medium maxime accommodatum ad vitæ emendationem, quam respicientiæ virtus potissimum spectat.

79. *Dico II.* Ad remissionem peccati pœnitentia virtualis per accidens sufficit.

Pars 1^a. est Theologorum nuper laudatorum, cum S. Thoma q. 70. a. 4. et q. 87. a. 1.; ac Petro Soto quidem adeo certa videbatur, ut eam de fide esse pronuntiaverit.

Prob. autem ex Scriptura Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo.* 1. Joan. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.*

Quam ob rem GREGORIUS M. hom. 33. in Evang. (opp. t. 1. p. 1595. B. C.) caritatem appellat ignem consumentem rubiginem peccati: *Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur.* Et B. AUGUSTINUS L. 2. contra Cresconium, c. 12. n. 15. scribit: *Peccata mundantur ipsa, quæ omnibus supereminet, caritate, quæ una si adsit, omnia recte sunt.* Et L. 14. de Civit. c. ult. ait, caritatem dividere inter filios Dei et filios perditionis. Et L. de spir. et lit. c. 32. n. 56. dilectionem vocat justitiam, qua justii effieimur, quia actus caritatis est

secundum se connaturalis dispositio ad infusionem habitus caritatis, quam infallibiliter comitatur gratia sanctificans et remissio peccatorum.

Denique actus caritatis est perfecta ad Deum conversio, virtute continens actum pœnitentiæ; ergo infallibiliter secum affert conversionem mutuam Dei ad hominem per gratiam et peccatorum remissionem, prout Deus pollicetur, Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me: et convertar ad vos.* Quod autem non nemo dixerit, fore ut tunc Deus gratiam homini subtrahat, quo amoris actus tantum naturalis evadat; id gratis omnino confingitur: talis enim homo excitatur supernaturali consideratione fidei, quæ ex parte intellectus excitatio sufficiens est, et quantum est ex se, voluntatem etiam excitat. Auxilium autem comitans ad perficiendum actum salutarem voluntati Deus non negat, nisi defectus fuerit ex parte hominis, quem hic non intervenisse, ex peccati præteriti inculcata ignorantia constat.

Pars 2^a. traditur ab eodem S. Thoma cit. art. 1. in fine 0., postquam dixisset, solo actu caritatis deleri peccata venialia, mox subjicit: *Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.* Igitur, juxta S. Doctorem, per se opus est formali actu pœnitentiæ; estque solus casus oblivionis peccatorum, in quo pœnitentia virtualis remissionem illorum obtinet.

Prob. Pœnitentiæ præceptum non obligat nisi supposita conscientia peccati: atqui homo qui ignorat invincibiliter suum peccatum, et actum caritatis elicit, præcepta omnia quæ sibi ad salutem consequendam necessaria et sufficientia occurrunt, implet; ergo remissionem peccati, et salutem æternam consequitur. Quæ quidem assertio non tantum in oblivione habituali seu in actu primo locum habet, sed etiam in oblivione actuali seu in actu secundo, quæ naturalis inconsideratio dici solet: hæc enim dum est, æque causat involuntarium ac ignorantia vel oblitio, quando durat; nec enim ad volendum sufficit habitus, sed necessaria est actualis cogitatio; ergo hac naturali inconsideratione affectus peccator, si ad Deum actu dilectionis formalis convertitur, conversionem mutuam Dei ad se, et peccati veniam merebitur.

80. *Obj. I.* Patres aliis actibus Christianæ pietatis æque tribuunt remissionem peccatorum, ac pœnitentiæ: ORIGENES homilia 2. in Leviticum (opp. t. 2. p. 190. et 191. Edit. Ruæi), numerat inter hæc media baptismum, caritatem, martyrium, eleemosynam ex Dan. 4. v. 24., remissionem injuriarum Matth. 6. v. 14., et correctionem fratris a via mala Jac. 5. v. ult.; S. AUGUSTINUS L. 2. contra Crescon. c. 12. n. 15. addit verbum veritatis; S. CHRYSOSTOMUS hom. 4. in 2. ad Cor. (opp. t. 10. p. 464. D.) submissionem animi, gratiarum actionem in adversis, assiduum precationem: imo hom. 22. ad populum (opp. t. 6. p. 80. A. Edit. Latina Ducæi.) *non habes, inquit, compunctionem? ecce Propheta clamat, prohibe linguam tuam a malo, etc. et in salutem tibi sufficiet:* ubi videtur illi sola mutatio vitæ sine pœnitentia sufficere; ergo non sola pœnitentia formalis est medium per se requisitum ad peccatorum remissionem.

R. D. Ant. Patres æque tribuunt remissionem peccatorum aliis actibus piis, tanquam dispositionibus proximis et immediatis N. tanquam dispositionibus remotis æque tribuunt remissionem peccatorum quoad certitudi-

nem effectus, si rite usurpentur *C.* Nempe Deum movent per modum impetrationis, et meriti saltem congrui propter divina promissa, ut det motus perfectæ contritionis, quæ peccata abstergantur. Martyrio quidem possunt peccata remitti sine actu contritionis perfectæ, modo antea retractatum fuerit peccatum actu attritionis, quæ est actus formalis poenitentia, et dispositio sufficiens ad gratiam baptismi suscipiendam. Quod si quis mortem imminuentem præviderit, et peccati lethalis recordetur, sine prævio contritionis perfectæ actu salvari non potest. S. Joan. CHRYSOSTOMUS per compunctionem significat dolorem sensibilem, et per vitæ mutationem non solum propositum futuræ vitæ intellexit, sed etiam convenientem detestationem prioris: nam hom. 42. in Matth. (opp. t. 7. p. 431. A.) ubi eadem remedia ad remissionem peccati enumerat, compunctionem a contritione distinguit, aitque, cor contritum *apprime requiri*.

81. *Obj. II.* Etsi homo cogitet de Deo et peccatis suis, potest tamen concipere actum dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem sufficiat; ergo ad justificationem non opus est formali actu poenitentia.

R. N. Ant. Hæc Medinæ opinio jure ab aliis Theologis rejicitur. Nam poenitentia formalis, quando haberi potest, per se est medium necessarium ad remissionem peccati: potest autem facile exerceri actus poenitentia ab eo qui sua peccata meminit, et bene in Deum est affectus: adeo enim talem Dei amor a peccatorum detestatione non impedit, ut vix a dolore se continere possit, præsertim si peccata sibi nondum remissa esse intelligit.

82. *Colliges 1º.* Poenitentiam insuper ex divino præcepto positivo peccatoribus necessariam esse, demonstrant testimonia Scripturæ in conclusione 1. recitata. Ex aliis item divinis præceptis novimus, hominem teneri ad finem suum ultimum tendere, suamque salutem operari Rom. 6. v. 22. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Eccli. 30. v. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Actus vero poenitentia re aut voto conceptus medium est peccatori simpliciter ad salutem necessarium, ita ut ejus defectum nec ignorantia nec impotentia excuset.

2º. Item *de jure naturali est, quod aliquis poeniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quærat per aliquem modum, et quod etiam aliqua doloris signa ostendat,* inquit S. Thomas q. 84. a. 7. ad 1. Non continetur autem lex ista in præcepto quinto Decalogi, ut putavit Andreas Vega L. 13. in Conc. Trident. Can. 20., quia præceptum illud prohibet tantum læsionem corporis, non animæ. Neque ista sola impoentia, sed quocumque alio peccato interimitur. Melchior Canus in Relect. de Poenitentia part. 3. tradit, obligationem illam oriri ex præcepto diligendi Deum, et se ipsum. Quod verum est, si non tantum accipiatur præceptum illud generatim, ut nobis divinorum præceptorum observationem injungens, sed ut speciatim actum divinæ dilectionis præcipiens. Præterquam quod justitia ipsa divini juris reparationem per media congrua præstandam a peccatore exigat.

3º. Per se loquendo, semel tantum peccator tenetur conteri de peccato. Neque enim ad poenitentiam iterandam eum adstringit justitia; eo quod Deus contritionem æque admittat, ac si esset æqualis satisfactio pro peccatis,

et debitum omne expunxisset: neque obligatur ex caritate; cum fecerit quod sufficit ad recuperandam gratiam, amicitiam et salutem æternam. His tamen qui sciunt, se Deum offendisse, suadet, ut actus poenitentia identidem frequentent: caritas enim est insatiabile desiderium placendi Deo. Quod si David, Petrus alique Sancti, qui de venia obtenta certi erant, nihilominus omnem vitam suam poenitentia impenderunt; multo magis decet nos *de propitiato peccato non esse sine metu,* ut Eccli. 5. v. 5. monemur.

ARTICULUS II.

QUANDONAM POENITENDUM?

83. *Nota I.* Præceptum poenitendi tempore aliquo determinato dupliciter potest obligare, per se nimirum, et per accidens. Ac per accidens quidem sive ex fine aliquo extrinseco et accidentario virtuti poenitentia, aiunt nos obligari in tribus casibus.

Eorum primus est instans exercitium actionis; quæ ob suam sanctitatem requirit statum gratia in operante, nec sine novo peccato exerceri in statu lethalis peccati potest: ut cum quis ex officio sacramentum est administraturus, aut sacramentum aliquod vivorum aditurus, hic ex omnium Theologorum sententia, si confessione prius non fuerit expiatus, ad perfectæ contritionis actum gravi præcepto obstringitur.

Alter casus a Soto et aliis Theologis ponitur vehemens tentatio et occasio peccandi, ad quam vincendam censeatur esse moraliter necessaria divina gratia et amicitia. Verum difficulter suadet, contritionem esse medium ita necessarium, ut inde oriatur obligatio ad illam eliciendam: nisi forte peccandi occasio consideretur ut diuturnior futura, et status gratia dicatur esse dispositio ad constanter resistendum. Ad vincendam enim quamcumque tentationem auxilium gratia excitantis et adjuvantis sufficit: nullum autem est principium, quo sufficienter suadeatur, tale auxilium sine gratia habituali obtineri non posse, aut non contrito negatum iri.

Deinde contritio est ipsissima victoria de imminente tentatione, et effectus auxilii gratia; ergo non potest esse medium ad obtinendum illud auxilium, quo tentatio superetur: imo cum minori gratia auxilio vinci tentatio posset, sola repudiatione vetiti actus vel objecti.

Tertium casum suggerunt Adrianus, Petrus Sotus, et Navarrus, malum reipublicæ impendens; pro quo avertendo cives Deo supplicare tenentur. Quanquam autem opinio ista pia oppido sit et probabilis, raro tamen quisquam obligabitur ad judicandum, hoc medium ad assequendum finem illum ita necessarium esse, ut citra novum peccatum negligi non possit. Nam præterquam quod sufficere videatur oratio, quæ non tam justitia precantium nititur, quam Dei misericordia, qui peccatores etiam audit; potest privatus quisque semper præsumere, in republica esse plures justos, quorum gratia Deus peccatores una orantes exaudiat.

Quidquid autem horum fuerit, indubitanter enuntiamus, in nullo illorum trium casuum committi duplex peccatum omissione contritionis, sed in primo tantum offendi in præceptum negativum non tractandi irreve-